

iterpremonstrare. Nimirum hi non vanè comparari possunt cum Abbate illo in Gallia, qui non agebat aliud nisi ut processib. Juris haud necessariis cuilibet negotium faceret. Cum igitur mandato Regis eorum usus ipsi interdiceretur; se quidem nunc 40. litigiis operari, quæ jussu Regis libens deponere vellet, modo hoc impetrare posset, ut sex ipsi permitterentur causâ fallendi temporis. Ita etiam multis votum est, ut si non in omnes, saltim aliquos invidiæ, kalumniæ & furoris pestilentissimum virus evomere possint.

Sed profectò fallunt & falluntur; cum DEUS non semesum aut tertiatum, sed plenum sed planum amorem à creaturis suis exigat. Quod si nondum sit in conspicuo est PHILAUTIAS elogium: age facem ascendam si minus pretiosorem, at quæ magis luceat. Tria requirit amicitia perfectæ fundamenta Philosophorum secretarius & amatum Aristoteles: *ἑω- νόταν, ὁμόνοισαν καὶ ἐνεργείαν*: hanc ut homo sibi consulat, illas, ut SIBI constet, ac SEIPSUM amet. Quæ si veri judicii lance pendatur curatius, adparebit sanè, non neminem JURE ac MERITO teneri, ut sit PHILAUTUS. Cui enim BONO mores in aliis deteriores reprehendimus; nisi ut à sui neglectu & odio illos abducere, ad sui amorem & æstimium impellere conemur? Est aliquis blasphemus: recensemus pœnam Ajacis Telamoni, Alphonsi XI. Regis Hispaniarum, Juliani Cæsaris; ex adverso commendamus felicissimam pietatem Scipionis Affricani, Karuli Magni, Theodosi. Est aliquis patriæ proditor; execramur hunc Flavi- um & cum eo * Tarpejam; Arminium autem & patrem ac filium * Decios laudamus. Non alio certè Ad-

*

Ovid. 1. Fast.

Et 14. Metæ.

Plut. in vita

Romuli.

*

Cic. 1. de di-

vin. 2.

Val. Max.

lib. 5. c. 6.

Ad-